



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 5. An, & vnde terra emineat super aquas?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

294 Cap. XI Res laude & admi-

matutina, quam vespertina. Nihil aliud ob-
tinuit iste motus, quam ut Mathematicos
non sineret quiescere, donec & terram,
& perpendicularum quiescere deprehendis-
sent. Nimis enim oritur sol, & occidit, terra
autem in aeternum stat; nec eam poterit loco
mouere ullus Archimedes, quamvis om-
nes artes, vires, machinæque suas im-
pendat.

Eccles. I.

4. 5.

§. V.

An, & unde Terra emineat supra aquam?
Illud quoque, in situ terræ, ad hominum
utilitatem, necessarium admirationem
meretur, quod, cum sua levitate, insi-
num locum, ipsiisque adeò etiam aquæ sub-
esse exspectat, & verò etiam aquis, ab initio,
tota fuerit cooperta; tamen, jubente DEO,
contra naturæ indolem, extra aquas emer-
serit; ita, ut quodammodo super aquas fun-
data, firmataque esse, ac dici posse videa-
tur. Quo respiciens Propheta, de orbe ter-

Psal. 23. 2. rarum ait: super maria fundauit eum, &

Pl. 135. 6 super flumina preparauit. & alio loco: Qui
firmauit terram super aquas. Quod non re-
ctè quidam voluit valida ventorum immis-
stone factum, ut contigit in aquis diluvii
desiccandis, quando Dominus, adduxit pri-

Gen. 8. 1.

ritum

ritum (id est , ventum siccum , vt expo-
nit Lyranus) super terram , & imminuta Exod. 14.
sunt aquæ; & quando via per mare, transi- 21.
turis Israëlitis exsiccata est. Ingens fuisset
miraculum, vno die , à vento tantam vim
aquarum exsiccari, miraculum autem, sine
magna necessitate , ponendum non est, vt
quidam ratiocinantur. Quæ tamen ratio
me tantopere non moueret, quia etiam ,
cùm extendisset Moyses manum super mare,
abstulit illud Dominus, flante vento vehemen-
ti, & vrente , TOTA NOCTE , & vertit in
siccum: dinisaq; est aqua. Si ibi vna nocte
id fieri potuit , cur non etiam vno die hic?
quantumuis tertio die , discooperatæ sint
plagæ terrarum. Illud maius apud me pon-
dus habet, quòd, tertio die , non dixerit
Devs, exsiccantur, sed, congregentur aquæ, Gen. I. 9.
qua sub calo sunt, in locum unum: & appareat
arida. Et vocavit Deus aridam, Terram, con-
gregationesque aquarum appellauit maria.
Collectæ ergo sunt aquæ , non dissipatæ
in aërem. Quæ collectio etiam non facta
est condensatione, qua aquæ aliquid qui-
dem loci relinquunt; non tamen propriè
congregantur. Quanquam credibilior hic
est modus, quam prior. Poterant enim pri-

T 4

us aquæ

us aquæ fuisse subtiliores, quales nunc sunt
pluuiiales; aut etiam his tenuiores, nempe
qualis est vapor, aut nebula caliginosa;
Ecli. 24. cùm ipsa diuina sapientia dicat: *Et sicut*
7. *nebula texi omnem terram, & apud Iob, cùm*
Iob. 38. 9. *ponerem nubem vestimentum eius, & caligine*
illud, quasi pannis infantie, obvoluerem. Talis
ergo vel vapor, vel aqua, si totam terram
operuit, vtique postea minorem locum oc-
cupauit crassata in salsum mare, ac spissum
humorem. Quæ sententia, si de nebula &
nube intelligatur, cogitandum est, terram
initio factam fuisse,

Lucret.
lib. 5.

Non alia longè ratione, ac sàpe videmus,
Aurea cùm primùm gemmantes rore per
herbas

Matutina rubent radiati lumina solis,
Exhalantque lacus nebulam, fluiisque
perennes:

Ipsa quoque interdum tellus fumare vi- detur.

Omnia quæ sursum cùm conciliantur in alto,

Corpore concreto subtexunt nubila calum,

§. VI.

Cur aquæ terram non obruant?
Verùm hæc opinio abit à ventorum
proprio